



Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/septemprincipuma00duca

SEPTEM PRINCIPVM ANGELORVM ORATIONES

CVM ANTIQVIS Imaginibus

OPERA

Antonij Ducæ Presbyteri Cephaludensis olim editæ.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.

Ex Officina Horatij Saluiani.

NEAPOLI, Apud Io. Iacobum Carlinum, & Antonium Pacem. Anno 1594.

De Sancto Angelo Custode. Antiph.

ANGELIS *suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. All. All.*

℣. Angeli eorum semper vident All.

℟. Faciem Patris mei, qui in Cælis est All.

Angele Dei, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hodie illumina, custodi, rege & guberna. Amen.

Vbi eras cum me laudarent simul astra matutina, et iubilarent omnes filij Dei? IOB·38.

AVE REGINA CÆLORVM
AVE DOMINA ANGELORVM

Ad Sanctissimam Virginem Deiparam Angelorum Reginam.

Antiphona.

AVE *Regina Cœlorum,*
Aue Domina Angelorum,
Salue radix sancta,
Ex qua mundo lux est orta.
Gaude gloriosa,
Super omnes speciosa,
Vale valde decora
Et pro nobis semper Christum exora.

℣. Dignare me laudare te Virgo Sacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus. Oratio.

CONCEDE *misericors Deus fragilitati nostræ præsidium, vt qui Sanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis eius auxilio à nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.*

De Sanctis Angelis. Antiph.

ANGELI, *Archangeli, Troni, & Dominationes, Principatus, & Potestates, Virtutes Cœlorum, Cherubim, atque Seraphim laudate Dominum de Cœlis. Allelu.*

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.
℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Oremus. Oratio.

DEVS *qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumq; dispensas, concede propitius, vt quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Dominum nostrum, &c.*



Antonius Duca Rector Ecclesiæ Septem Principum Angelorum Panormitanæ pijssimis Lectoribus Sanctorum Angelorum auxilium.

CANDELABRVM *de partibus septuaginta, Viri Christianissimi, quod Moyses Dei mandato aureum composuit, ex Iosepho D. Hieronymus mundum cum septem Stellis errantibus scribit significasse: & per illud à D. Anselmo quoddam templum spirituale mirabiliter describitur. Nos & Iosephi, & D. Ioannis Euangelistæ auxilio adiuti, triumphantem Ecclesiam cum septem Spiritibus ante Deum astantibus, instar cuius militans Ecclesia cum septem Episcopis ardenti purpura indutis existit, significare censemus: necnon septimembre templum à sanctis Martyribus ædificatum Romæ ex vaticinio Esaiæ ostendimus: vt quemadmodum in mirabili Iudæorũ Candelabro, ita in mirabili Christianorum templo Deum mirabilem prædicemus. Valete fœliciter.*

INTERPRETATIO NOMINVM
Septem Principum Angelor um.

MICHAEL	Quis vt Deus ?
GABRIEL	Fortitudo Dei.
RAPHAEL	Medicina Dei.
VRIEL	Ignis Dei.
SEALTIEL	Petitio Dei.
IEHVDIEL	Confeſsio, ſiue laus Dei.
BARACHIEL	Benedictio Dei.

De Septem Principibus Angelorum. Antiph.

PRINCIPES *septem militiæ cœlestis astãtes in conspectu Throni Dei, quibus dispensata sunt magna ministeria in omnium fidelium tutelam, occurrite, quæsumus, tentamentis dæmonum, & pro deuotis intercedite vestris apud immaculatum Agnum Filium Dei.*

℣. Adorate Dominum. Alleluia.

℟. Cuius ante thronum stant semper Principes Angelorum. Alleluia.

Oremus. Oratio.

DEVS *qui inter cætera cælorum ornamenta, & munera mundum gubernantia tam ordines, quàm ministeria Angelorum miris digessisti modis: concede propitius, vt à tuis Septem Principibus astantibus, qui tibi in excelso Throno sedenti vicinius semper astant, vita nostra protegatur. Per Dominum nostrum.*

De Septem Principibus Angelorum. Hymnus.

CVNCTVS *in cœlo siluit senatus,*
Dum Draco bellum peteret superbus,
Quem recalcatum pedibus Michael
Fixit Auerno.

Te Paranymphum colimus Tonantis,
Spiritus cuius resonat per Orbem,
Gabriel: nostros animos olympi
Lumine reple.

O salutaris medicina cœli,
Sancte Raphael, medicamen affer
Corpore ægrotis, animisq; cæcis
Dirige gressus.

Iudicis partes Iehudielis atræ
Sint procul nobis miseris quousq;
Gratia summi Patris eluantur
Crimina nostra.

Noster Adiutor, faueas precamur
Barchiel, cunctis: memor esto nostri,
Vt Deo Sanctos referas rogamus
Impiger actus.

Sealtiel cunctus tibi debet Orbis,
Cuius Orator Patris ante Thronum es:
Et tuis supplex famulis precaris
Crimina tergi.

Vriel fortis socius bonorum
Dæmonum vires gladio retundit,
Charitas cuius superat piorum,
Vota precantum.

Numini Trino Deitatis almæ
Laus, honor, virtus, pariter potestas
Sit decus semper, benedictioq;
Omne per æuum. Amen.

De Sancto Michaele Victore. Antiph.

FACTVM *est silentium in cœlo, dum draco committeret bellum, & Michael pugnauit cum eo, & fecit Victoriam.*

℣. Michael Princeps venit in adiutoriũ Populo Dei.

℟. Et stetit in auxilium pro animabus iustis.

Oremus. Oratio.

DEVS, *qui Beato Michaeli Principi ostanti, & summo cœlestiũ copiarum prælianti sub auxilio salutiferæ crucis abæterno præuisæ, gloriosum de superbissimo Dæmoniarcha triumphum dedisti, te quæsumus, vt nobis armantibus frontem nostram signo salutari, nomenq; prædicti Michaelis triumphatoris inuocantibus, fortitudinem, ac victoriam, contra visibiles, & inuisibiles hostes concedas, vt nos liberi ab illorum impedimento, secundum tua diuina mandata vitam nostram ducere valeamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum.*

De Sancto Gabriele Nuncio. Antiph.

INGRESSVS *Gabriel Angelus ad Mariam dixit; Aue gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.*

℣. Angelus Domini Nunciauit Mariæ.

℟. Et concepit de Spiritu Sancto.

Oremus. Oratio.

DEVS *humanæ salutis amator, qui Beatum Gabrielem Principem astantem, & tuæ fortitudinis ministrum legasti ad annunciandum gloriosæ Virgini immaculatæ sacramentnm incarnationis Filij tui Domini nostri Iesu Christi; humiliter petimus, vt confugientibus nobis ad præsidium tanti Paranymphi, eius intercessione fortitudinem aduersus visibiles & inuisibiles hostes concedere digneris. Per eundem Dominum &c.*

De Sancto Raphaele Medico. Antiph.

RAPHAEL *Princeps ait: Ego sum vnus ex septem, qui astamus ante Dominum, Tobiamq; cæcum illuminauit, & Dæmonium apprehendit, religauitq; illud in deserto.*

℣. Pax vobis, nolite timere. Alleluia.

℟. Dominus exaudiuit preces vestras. Alleluia.

Oremus. Oratio.

DEVS *qui ex tua ineffabili bonitate Beatum Raphaelem fidelibus tuis viatoribus Ductorem, maleq; habentibus Medicum ab initio constituisti, te suppliciter rogamus, vt nobis implorantibus opem dicti Principis astantis, patefacias semitam salutis, & ægritudinum tam animæ, quàm corporis salutarem medelam concedas. Per Dominum nostrum.*

De Sancto Vriele forti socio. Aña.

O FVLGOR *Diuinæ Maiestatis, ò robur inuictæ potestatis, ò flamma ignitæ charitatis, illumina mentes nostras, ne inducamur in tentationem, & gladio tuæ potestatis nos tueri digneris.*

℣. Extende quæsumus gladium tuum Sancte Vriel.

℟. In auxilium deuotorum tuorum.

Oremus. Oratio.

DEVS *qui ex incomparabili tua clementia Beatum Vrielem illuminationis tuæ ministrum ineffabili charitate ardentem tuis fidelibus vigilem tutorem propulsantem tentamenta Dæmonum sociasti, tribue quæsumus, vt nos recurrentes ad tutelam tanti splendoris, depulsis mentis nostræ tenebris, agnoscamus ea, quæ nobis salutaria sunt, & latentes Dæmonum tendiculas penitus declinemus. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecũ. &c.*

De Sancto Iehudiele Remuneratore. Aña.

IEHVDIEL *operum nostrorum sedule spectator, & æque remunerator Sapientiæ Dei minister, Virginumq; custos, qui legitimè certantes corona donas, emendandos corripis flagello, consule, subuenique nobis rogamus supplices, vt à delinquendi lubrico lapsu cito resurgamus.*

℣. Præueniat nos Domine misericordia tua.

℟. Priusquam pro peccatis nostris flagellum iræ tuæ sentiamus. Oremus. Oratio.

DEVS *omnipotens, & omnium operum iuste æstimator, qui per sanctum Iehudielem Optimi consilij tui ministrum, bonorumq; remuneratorem à te constitutum præmia retribuis, Improbis verò correctionē infligis, te humiliter quæsumus, vt nobis implorantibus opem tanti Principis benè consulentis, iusteq; remunerantis, tua illuminatrix gratia dirigat nostros actus in lege tua, reuocetque flagellationem pro nostris offensis irrogandam. Per Dominum.*

De Sancto Sealtiele Oratore. Aña

MAGNE *minister misericordiæ Dei petendæ, & omnium fidelium Patrone Beate Sealtiel, contemplare quæsumus nostram humanam fragilitatem, ne nostros abhorreas reatus ne ue dedigneris pro nobis semper orare; Sed imitare Iesum nostrum Redemptorem, qui sedens ad dexteram Dei Patris, dignatus est esse noster Aduocatus.*

℣. Beati Sealtielis adiutorium inuocemus.

℟. Vt pro peccatis nostris veniam cõsequi mereamur.

Oremus. Oratio.

DEVS *misericordiarum fons indeficiens, qui pro imbecillitatis humanæ reatibus Beatum Sealtielem tuæ misericordiæ ministriũ orantem pro nobis ab initio esse voluisti, te supplices precamur, vt tanti Patroni patrocinio, & oratoris oratione nos ab omnibus malis imminentibus eripere, nostrasq; iniquitates secundũ multitudinem miserationũ tuarum abolere digneris. Per Dominum nostrum. &c.*

De Sancto Barachiele Adiutore. Antiph.

SANCTI *Spiritus donorum, benedictionisq;, & gratiæ diuinæ Minister Sancte Barachiel, ora vt Deus infundat nobis spiritum fortitudinis, Spiritum Sapientiæ, Spiritum veritatis, quo aduersus Dæmonum insidias, corporisq; fragilitatem, mundi quoq; tenebras & inquinamenta resistere, sanctisq; operibus insudare valeamus.*

℣. Da nobis Domine Sancti Spiritus dona.

℟. Per intercessionem Sancti Barachielis Astantis.

Oremus. Oratio.

DEVS *bonorum omnium largitor opem, & gratiam tuam concede nobis quæsumus, sine qua nihil à nobis effici potest, vt per inspirationem Sancti Spiritus nos incumbentes bonis operibus Sanctũ Barachielem habere mereamur adiutorem, ad depellendum mentis nostræ dubietates, Vt agnoscamus quæ nobis nocitura sunt, serenatisq; sensibus nostris benedictionis, & gratiæ tuæ sempiternæ capaces efficiamur. Per Dominum nostrum. &c. in vnitate eiusdẽ &c.*

Imprimatur.

Ardicinus Biandrà Vic. Gen. Neap.

M. Cherubinus Veronen. Aug. Theol. Archiep. Neap. vidit. *Idem fol. 5.*

712

41-648

C2014
col. A1/BQ